



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio Perfectionis Libri Dvo

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

XXXIII. Virtutes Theologicas opportunas admodum esse Negotiationi spirituali, & omnino necessarias; fidem in primis, cuius rationes in Praxi debent humanis præponderare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

C A P. XXXIII.

*Virtutes Theologicas opportunas admodum
se Negotiationi spirituali, & omnino neces-
sarias: fidem in primis, cuius rationes
in Praxi debent humanis pra-
ponderare.*

103. **N**egotiationi spirituali virtutes Theo-
logicas vtiliores nullæ sunt: nullæ
certe familiariores esse debent: & in primis ca-
ritatem ipsam PERFECTIONEM esse statuimus,
ac Negotiationis finem: cuius Praxis in singulis
actibus necessaria est. de hac multa diximus,
tamquam prima ordine dignitatis: quamquam
& primum locum tenere debuit in hac tracta-
tione, cum & ipsi sapientia primas tribuat. *Ego, Ecc1 24.*
ait sapientia mater pulchra dilectionis, & timoris, &
agnitionis, & sanctæ spei. Dilectio ac timor, qui
sunt fratres germani ex eadem matre inlita
nampe caritate exorti, primi nominantur; de
inde agnitio, quæ fidei est: denique sancta spes
ultima collocatur. Nec est, quod quis mireretur
fidem caritati postponi, aut etiam spem: agimus
enim hic de viuento negotiatore, qui disposi-
tione fidei ac spei non indiget ad iustitiam ac-
quiendam, quam modo adeptus est: agimus
de animæ vita ac forma, quæ fidem præsup-
ponit, & spem accendit. quis enim speret effi-
caciter æternam compensationem, qui nondū

*Virtutes
Theologica
vtilissima
sunt Nego-
tiationi
spirituali.*

*Quis ordo
seruandus
inter vir-
tutes Theo-
logicas.*

Dei amicitiam (quæ condicio est negotiorum necessaria) consecutus est? Præcedit ergo fides in genere causæ efficientis; generat enim cum timore & timore, pulsis fugatisque quasi peccatorum tenebris, caritatem: sed in genere causæ formatæ caritas præcedit, quæ ceterarum virtutum forma est, & informes merito sine ea vocantur sic sapientia, quæ caritati congenita est, verè firmat se esse matrem agnitionis, ac sanctæ quia fides & spes formatæ, à caritate generantur vitamque accipiunt. Verum à fide ordiamur Fidelibus hæcenus locutus sum, & illis eodem qui interna amicitia cum Deo copulata eo pauca de fide tractavi: cuius tamen usus necessarius est, ut, si desit, spiritus & vita in operibus etiam desit omnino, & Negotium spiritualis plane concidat: est enim *substantia rerum, argumentum non apparentium*. Vocatur substantia, quod omnibus & virtutibus & operibus substernatur: nec sperare divina amare, nec quærere sine ea liceat. nam sicut in radice arboris nulla prorsus apparet pulchritudinis species: & tamen, quidquid est in arboris pulchritudinis vel decoris, ex illa procedit: sic fidei humilitate quidquid meriti, & quidquid beatitudinis anima susceptrura est, ex fidei fundamento procedit. hæc enim radix obscura & occulta argumentum est rerum non apparentium: non quod rami & fructus bonorum operum non videantur: non quod argumenta quibus credibilia ea fiant, quæ credenda proponuntur, obscura sint: non ita: evidentiissima enim

*Necessitas
Praxis fidei.*

*Heb. xi.
Fides quid sit.*

Simile.

Fidei obscura cognitio est

illa sunt, nimirum sanctitas eorum qui fide
 excelluerunt, antiquitas veræ fidei, successio
 Romanorum Pontificum, miraculorum gloria,
 fidei vnitas, aliæque notæ similes: hæc etenim
 argumenta res fidei credibiles esse persuadent,
 sicut ait sanctus Rex: *Testimonia tua credibilia facta* *Psal. 92.*
non nimis. Nihil enim euidentius, quam fidei
 documenta digna esse quibus totus orbis fidem
 adhibeat: vt merito non modo cæci sint, qui tā-
 tum solem non intueantur: sed etiam (quia tanti
 splendoris est, vt & cæci videre possint: possunt
 enim hæc argumenta lumine naturali videri ac
 cognosci) oculos suos prauis homines, ne hunc
 solem aspiciant, claudere videantur. Non sunt
 tamen hæc argumenta credulitatis, quibus fidei
 veritas, quæ maxime obscura est, appareat: sed
 tantum credibilitatis, vt loquuntur Doctores
 scholastici. Fidei actus præcipuus est credere: *Apud D.*
 credere vero non est scire: sed rei non visæ, non *Thomam*
 cognitæ, assensum præbere. Non enim credi- *2.2.9.1.4.1.*
 mus Deum esse trinum & vnum quia hoc anti-
 quitas docuit, quia id ipsum miraculis testatum
 est: sed quia Deus reuelauit Ecclesiæ suæ. Hoc
 argumentum est rerum non apparentium, ob-
 scurum, absconditum. *Aufer hinc argumenta, ait Deside, ad*
 Ambrosius, *ubi fides queritur: in ipsis gymnasiis suis Gratianū*
 iam Dialectica taceat. *Non creditur Philosophis, credi- Augustum*
 tur piscatoribus: *non creditur Dialecticis, creditur lib.1. c.5. in*
 publicanis. *D. item Gregorius: Diuina operatio si fine.*
ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides Euang. in
habet meritum, cui humana ratio præbet experimen- principio.
tum.

Fidei cer-
titude.

204. Est ergo fides obscurum argumentum & cum credimus, id quod credimus, non videmus: scimus tamen certissimum id esse, & certius quam si cognosceremus intellecta, vel comprehenderemus; quia falli possumus sensibus, Deus vero, qui reuelat arcana sua, falli non potest, nec fallere.

Hoc iacto fundamento, quasi substantia actionum nostrarum, firmiter secureque incedimus; & sine dubitatione aut hesitatione modo progredimur, sed ad infinita agenda committimur, quasi funiculo quodam; vixque consistimus, donec ea, quæ fide concepimus, ad finem perduxerimus. Peccato namque commisso, (verbigratiâ) sciens me ab arbitro supposito, (verbigratiâ) scilicet, merito contremisco, ipsum adeo, desleo peccatum perpetratum: nec quiesco, donec cum eo rediero in gratiam. Certo incedo, & firmiter credo in Eucharistia IESUM Christum contineri: cur non ergo demissa reverenter eum ardorem, alloquar, ac supplicem, à calamitate aliqua liberari postulem? cur ob immensam eius Maiestatem fide conceptam, atque apprehensam quodammodo ad interiora usque animo me non demittam?

D. Bonau. Videamus quid D. Bonaventura ex vnic
hoc præsentia diuinæ articulo agendum
25. Memo- rial. in 22. deat, & quomodo ad eadem perficienda qua
tom. 7. fol. filo quodam deducat. Solutus ait, ab omnibus crea
17 turis, tanto mentis conatu desideriique seruore crea
Præsentia diuina cõ- tuum creatorem intendas, vt, (quasi omnium inferio
sideratio rum oblitus) quidquid agas, ybicumque steteris, & que-
bus-

busq; negotiis impliceris, die ac nocte, ac omni mo-
 mento & hora, Deum semper habeas in memoria, cre-
 dens & cogitans te esse verissime coram eo, & ipsum
 cogitans vndique te aspicere. Hæc autem cogita cum
 magna reuerentia, ac timore pariter & amore, & cū
 magna discretione: nunc ante pedes immensa Maie-
 statu eius prostratus, corde amarissimo, peccatorum
 veniam postulando: nunc sacratissima passionis Filii
 Dei gladio compassionis coram eius cruce vulneratus,
 cum eo lacrymosus & flebilis apparendo: nunc
 totius vitæ illius decursum obliquitati tuæ velut
 rectitudinis lineam præponendo: nunc inenarra-
 bilia & immensa Dei beneficia mente pertra-
 ctans, gratiarum actionibus insistendo: nunc sti-
 mulis ipsius amoris ardentissime punctus, ipsum in crea-
 turis omnibus intuendo: nunc potentiam, nunc sapien-
 tiam, nunc bonitatem & clementiam eius attendens,
 eum deuotissime in cunctis operibus suis collaudando:
 nunc desiderio patriæ celestis attractus, ad ipsum ge-
 mebundis suspiriis anhelando: nunc circa nos viscera in-
 estimabilis caritatis eius aspiciens, letabunda qua-
 dam excessiua admiratione corde ac animo in ipso defi-
 ciendo: nunc te præcipitem, nunc te fugientem, nunc te
 ruentem, nunc Deum te timentem subleuantem, reti-
 nentem, & attrahentem, nunc Deum te ingratum per
 omnia concernentem considerans, ineffabilibus diuina
 misericordia visceribus tibi patefactis, nimio in eo ca-
 ritatis ardore te conferens, totum te fletibus resoluendo:
 nunc vero occultissima, profundissima, & summe
 arcana, nimiumque stupenda iudicia iustitiæ eius dili-
 genter attendens, eum in omnibus fidelis & constans
 cum summo amore, ingenti quoque timore ac tremore,

discretus, supplex & humilis venerando: præ omnibus
autem continuam & viuam memoriam ipsius sacratissimæ
passionis in animo & corde tuo ferens. Hæc
Bonauentura, & vero hæc omnia ex vnica
culi conceptione colligens. Si enim Deum credimus
vbiq; præsentem, & fides hoc nobis
potenter obiiciat: quis omni conatu nos voluntati
ac beneplacito eius conformari oportere
eum demississime venerari, complecti, omni
moris atq; obseruantia signa edenda esse, non
iudicabit?

Qui fide videntur,
paucos esse.

1. Beati.

2. Damna-
ri.

Iac. 2.

3. Pueri &
amentes.

4. Hæretici
& infideles.

205. In cælo fide opus non est: beati non credunt, sed Deum vident facie ad faciem: & in cælo omnia, quibus abunde satientur, diuinamque voluntatem cognoscant, conspiciunt.

In inferno fides diuina nulla est; naturalis est aliqua, quæ argumentis quibusdam ac coniecturis nititur: *dæmones enim credunt, & canes miscunt.*

Pueri & amentes Christiani, etsi habitum habeant fidei, fide tamen diuina non vtuntur, quia in intellectu & iudicio fundatur, quod non possunt.

Hæretici, & alij infideles, nec habitum habeant fidei, nec fide vtuntur diuina, sed fides eorum humana plane est; quia ratio, cur credunt, non est diuina reuelatio, sed eorum sensus & perfusio: credunt enim quæ volunt: quæ nolunt, minus credunt. Calviniani credunt quædam dogmata quæ tamen reuelata non sunt: materia autem fidei est reuelatio, seu quidquid reuelatum

um est diuinitus, siue immediate à Deo per Prophetas, siue per Scripturam, siue per Christum Iesum, siue per Ecclesiam in Conciliis, siue per Dei Vicarium. non tamen, quicumque hæc credunt, fidem habent: nam si hæc credantur quia ita videtur credendum, hæreticorum modus hic est: forma enim & anima fidei est credere quia ita Deus reuelauit. Fide ergo hæretici ac ceteri infideles non vtuntur, quia non credunt ideo quod Deus ea omnia reuelauit.

Minus vero athei ac quidam politici: qui in hoc ab hæreticis differunt, quod illi multa reuelata suo modo credant, sine forma quidem debita credendi; hi, credendi forma irrita, nihil plane credant rerum reuelatarum: simulant tamen se credere ea quæ politiam promouent: & vnam religionem necessariam esse docent, non quia Deo (quem vere nullum in animo admittunt) honorem deferendum existiment, sed quia sine religione plebs coerceri non possit, nec regi: religio enim timorem incutit, Dei minas, iudicia, suppliciaque intentans, quæ dum rectores Reipublicæ inculcant, inconditam atque indoctam multitudinem sub Principum manu arbitrantur in officio posse contineri.

Politici hi sunt, quos si non noueris, tibi videbuntur viri spirituales, humano fastigio sublimiores, vitiis omnibus superiores, omnibus exculti virtutibus, Deum in ore perpetuo habentes, de Dei prouidentia multa denuntiantes, multa de patientia, de humilitate, (quas virtutes ex composito præ se ferunt) ad cælos vsque extol-

s. Politici.

*Politicoꝝ
simulatio
detegitur.*

extollendo, disputantes. quamquam, si vitam
 moresque eorum discutias, in hisce duabus vir-
 tutibus nonnihil suspectos haberi posse repo-
 ries. In templis, vt in aulis, primi videri volunt.
 Pietatis id argumenti in eis obseruabis, quod
 in pietate insensibiles sint: & licet optime Ma-
 gnatibus loquantur; Deo tamen, & Sacerdotibus
 secreta audienti, infantes, ignari, mutique appa-
 rent. Cum omni hac pietate pro libro spirituum
 terunt Macchiauellum dies noctesque: unde
 spiritum hauriunt, & religionem omnem
 suam, quam in Praxim redigunt diligentius
 quam Euangelij doctrinam; occulte id quidem
 non humilitatis causa: vt Christiani, (qui vir-
 tutem suam occultatam cupiunt) sed ne hypo-
 crisis illorum detegatur: adeo vt nullus pesti-
 etus esse iam censeatur, nullus idoneus, in
 eorum iudicio, qui res magnas tractet ac gerat,
 nisi familiarem sibi habeat Macchiauellum. Ita
 ut alterum Thomam à Kempis de imitatione
 Christi.

Horum minor fides, quam dæmonum, hi enim
 aliquam habent, illi vero nullam: & si ha-
 beant aliquam (difficile enim est, lucente ratio-
 ne, *σωτηρίαν* diuinamque subinde lancinantes
 motus exanguere, atque omnino opprimere,
 sic tamen agunt, ac si non haberent: eosque mo-
 tus comprimunt pro virili, ne eorum sententias
 aculeos. visitant templa, sequuntur diuinissi-
 mam Eucharistiam, vt canes dominos suos: spem
 nempe frustuli panis, quod externa caritas omnia
 emendicant: ecquid enim regna & imperia illis

præter

præter panis frustulum conferunt? Ideo Apo- 1. Tim. 6.
 stolus: Nihil (inquit) intulimus in hunc mundum,
 haud dubium quod nec auferre quid possumus: habentes
 autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti
 sumus.

206. Vbi ergo fidem inueniemus? & quis lo- Luc. 18.
 cutus veræ intelligentiæ? Certe Filius hominis ve- 6.
 niens putas inueniet fidem in terra?

Christiani, Baptismatis vndis lustrati, fidei
 habent habitum: & vsum: in quo ab infidelibus
 differunt, infantibus, & fatuis: in hoc conue-
 niunt, quod plerique ea pæne non frequentius
 quam illi vtantur: & rarius vterentur, nisi à Deo
 nouis illustrationibus impellerentur.

Hæc quam vera sint, singuli de se statuant. Argumen-
 Veritatis huius argumenta atque indicia sunt, ta quibus
 vita nostra: quæ longe alta foret, si à fidei norma cognosci-
 dirigeretur: deinde studium rerum huma- mus homi-
 narum, amor diuitiarum, honorum ac dignita- nes fide nõ
 tum consequendorum cura infatigabilis: sed & vi.

neglectus diuinorum: fastidium virtutis, & fa- 1.
 lutis capessendæ: consilia & sermones varij de 2.
 rebus inanibus, ne dicam sceleratis & impis. 3.
 4.
 5.

id vero præ ceteris arguit remotissimum à no-
 bis fidei commercium, quod, quæcumque agi-
 mus, non fidei rationibus, sed humanis tantum
 causis, & forte etiam imaginationibus, fulcian-
 tur. Non intendo quidem hic iudicium huma-
 num, prudentiam, rationesque conuellerè aut
 excludere: sed alienationem à lumine præstan-
 tiori, & in tenebris huius mundi plane neces-
 sario, rarioremque eius vsum reprehendo. hunc
 enim

Homines
 in rebus a-
 gendis, ne-
 gligens fidei
 rationibus
 solo inge-
 nis aut et-
 iam phan-
 tasiare-
 guntur.

enim defectum cum turpe sit in aulis Principum Regum, Imperatorum reperiri: tum in iis turpissimum, qui professione purioris vitæ Christianæ statum PERFECTIONIS ac conditionem sectantur ac profitentur.

*Exemplis
declaratur.*

1.

Bellum indicendum est: quibus causis? illud ex fide deductis? si sic fiat, bene habet, res ad Dei honorem & Reipublicæ bonum succedet: si minus, sæpe accidit quod quidam poeta expressit:

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

2.

Si pax concilianda, & rationes fidei interueniant, habita in primis Dei religionisque consideratione, durabilis hæc erit, & solida: si humanis tantum & labilibus fulciatur columnis & persuasionibus: Deus non irridetur. Si Reipublicam Macchiauelli potius quàm Christiani legibus regant, florebit forte in quidam tempus, & glorioso nomine potentur: sed non potestis, qui regit omnia, & potentior potentior est. *Nescitis longas Numinis esse membra.* In infamiam omnis gloria, & splendor in putredinem, commutabuntur. *Memoria enim vobiscum laudibus & nomen impiorum putrescet.*

Prou. 10.

3.

Si filia collocanda in matrimonium, & solis humanis respectibus mouearis, opum nempè fauorisque flatu spem magnam adspirante: nescio quem ex tum res sit habitura: ceterum si impius ille sit, si deprauatis moribus, si impiorum religionis, si parentibus perduellibus, aut etiam hæreticis: qualis macula nomini tuo adhaerescet, quid filia tua patietur, tu videris. *Humilitas*

has rationes secutus es : quod intriuisi, exeden-
tam erit.

Vult alius Religionem ingredi : non quia ad
PERFECTIONEM aspirat : panem tantum (vt
vulgo) impetrare nititur. Quod si hic euadat in-
obediens, Religionis osor, libidinosus, apostata
quid huius ruinae ansam attulit? attulerunt pro-
fecto rationes humanae, quas taceo, quibus ad
neundam Religionem inductus est.

4:

107. Quam vero perniciosum fit, in rebus *Lapsus A-*
agendis, promiscue & indifferentè hisce ratio- *dami ex*
tionibus insistere, luctuosus orbis catus, salutif- *humana*
que omnium interitus facile ostendit. cum e- *ratione.*
nim primus parens fructum veritum comedif-
set, non attulit Deo exostulanti aliam causam,
quam humanam. *Mulier, ait, quam dedisti mihi so-*
Gen. 3.
nam, dedit mihi de ligno, & comedi. Deus bone!
sciebas, ô Adam, agi de te, tuaque tota posterita-
te; de mundi ruina a que occasu : hæc ne ratio
sufficiens erat, vt Dei Creatoris tui, summique
benefactoris, parentis optimi, mādatum trans-
gredere?

Abel obtulit Deo de pinguioribus gregis sui *Cain.*
ouibus, fructibusque melioribus. Hoc fratri di- *Gen. 4.*
splicuit illiberali. Morre moriere Abel; quia li-
beralior es quam Cain. Ratio hæc humana est,
quamquam & humanitatis leges omnes violet:
dum propter humanas rationes trucidare fra-
trem, eumque innocentem & iustum, oportet.

Simeon & Leui, filii Iacob, fratres Dinæ, *Simeon &*
contra pacta aq fidem datam Hemor, eiusque *Leui.*
filio

Gen. 34.

filio Sichem, eos perfide trucidarunt: masculos civitatis interfecerunt; oves eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus & in agris erant; paruulos quoque eorum & uxores duxerunt captiuas; urbem denique ipsam depopulati sunt: cur ita? *In ultionem stupri à Sichem Dinæ sorori illati.* At grauior ultio hæc post istam compositionem & compensationem: quid? humana hoc facit ratio.

Fratres Ioseph.

Gen. 37.

Venditur Ioseph in Ægyptum à fratribus innocens, tenellus, percarus patri, frater optimus: quid meruit? in quem deliquit? quæ ratio est seruendi? humana: quia videlicet à patre ceteris amabatur.

Idololatria Israelitarum.

Exod. 32.

Populus Israel, quem Deus ex Ægypto inaudita miracula prodigiose eduxerat, virtutem conflatilem erigunt, adorant, eique applaudunt, dicentes: *Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt à terra Ægypti.* Quid vos mouet, ô Iudæi? ô Iudæi Dei selecte popule (Hoc, inquit, quod nesciamus ubi sit Moyses; qui fere à quadraginta diebus, conscenso monte, nobis vultus visus est. Humanarum rationum molimina hæc sunt.

Saul.

1. Reg. 20.

Persequitur Saul Dauidem innocentem manuetum, patrem patriæ, qui gentem suam ab immani tyannide Philisthinorum liberauerat: quid mali fecit? *Filius mortis est,* dicit Saul, ex causa? quia, cum reuerteretur à cæde Goliath Philisthæi, virgines obuæ ei occinebant: *percussit Saul mille, & Dauid decem millia.* Sensit Saul, & exclamans ait: *Quid ei superest, nisi regnum?*

Salomon ædificauerat templa & altaria vxoribus suis, & concubinis, cum iisdem deos veneratur orbis sapientissimus: quid ita? amores & delicias contristare noluit, humanitate in nefarium sacrilegium degenerante.

Herodes timens successorem, dum verum Regem opprimere nititur, infantes innocentes trucidauit. Humanæ hic affectus rationis est.

Sed & Iudæi Christum Regem, Dominum, ac Deum suum interficiunt: quibus de causis? Quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus, inquit, eum sic, venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. & Caiphas: Expediit vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat. Quid dicit Caiphas? quid? (inquam) si hic, qui tibi reus fit, culpa careat, reum esse mentieris? adiudicabis morti, in crucem ages, nulla seruata iuris forma?

108. O quicumque hæc legis, quæso, considera quæ sint rationes, ob quas Dei respicimus amicitiam, & fœdissime nos ipsos in peccati lutum immergimus: hæc nempe, vel similes, quas aut cacodæmon aut natura fallax suggerit: Ne, ô homo, (homo enim es, & humanum est peccare) ne inquam, hoc alienum ab homine putes: occasio sese offert, quam numquam recuperabis. Iuuenis es, non religiosus: diu id ipsum optasti: locus adhuc erit pœnitentiæ. Id amico petenti gratum erit. Alius vero, Vliscar, ait, quod ille rogatus petenti rem mihi gratam atque optatam non concesserit: quod mihi honorem non

Salomon.
3. Reg. 11.

Herodes.
Matth. 2.

Iudæi in
Christum.
Ioan. 11.

Exhortatio, ne humanis rationibus ad operandum moueamur.

non detulerit, minus, quam par sit, de me honorifice locutus fuerit: denique rem aggressus, ita enim placet, volupe est, id mihi bonum esse reputo. O incredibilem dementiam! summas rationes adeo potentes, ut virum, & eum sublimem de sapientem, eruditum, vel in dignitate constitutum, è cœli vertice, ubi nomen eius descriptum est, deturbet? deturbat te, & sæpe. quod si fratribus hisce rationibus opposuisses rationes fidei non cecidisses. Quas? Deus, peccatorum vinum præsens me intuetur: eius perdam amicitiam hæc fecero. Quid si illico moriar? quis mihi pollicebitur longiores dies, senectutis que tempora? ergone excludat ab æterna vita? ergone æternis ignibus pro breuissima voluptate cruciabor?

Fidei rationibus nitamur.

Præponderant sane rationes hæ & præstant firmioresque sunt præcedentibus; quas si post delictum parentibus obruderent, acerbè ab iis vapularent: sed *maiorum nuga*, ait Augustinus, *negotia vocantur, puerorum autem, id est, casti sint, puniuntur à maioribus.*

August. li. 1. Confess. cap. 3.

Considera etiam quibus actiones mortaliu cetera rationibus nitantur, quid spectent diuites, quid ii qui aliis præstant, quid mercatores, quid vel ii qui Deum in patrem sortemque suam elegerunt. Ingrediatur quisque conscientiam suam, & videat quoties sibi fidei rationes obiciat in rebus agendis domesticis, ciuilibus, politicis, in hominum societate, in contractibus, quid humanis dico? videat num & diuina in rebus huiusmodi basibus non fulciat. Si diligenter atten-

rendimus, videbimus sane nos non ad rationes diuinas abripi, sed diuinas ad nostras pertrahi: nosque parum sollicitos quam recte res tractatur, modo quæ nostra sunt curemus & obtemperemus.

C A P. XXXIV.

Fidei Praxis, eiusque necessitas, sanctorum Patrum auctoritate rationibusque ostenditur.

Q Vam familiaris fidei vsus nobis esse debeat, sancti Patres multis expresserunt: atque in primis Clemens Alexandrinus vult fidem non minus nobis esse commendatam, quam omnium elementorum vsum. *Ute* inquit, *absque quatuor elementis non licet viuere: ita nec absque fide licet asequi cognitionem.* Neque enim spiritualium rerum notitiam assequemur nisi fide familiariter vtamur; & æque quidem familiariter atque aqua & igni, aliisue elementis, quibus corpori necessaria comparamus.

D. Chromatius comparat opera nostra ambulationi nocturnæ: quam nisi lumen præcedat, periculo nos magni casus errorisque exponimus. *Lucerna, ait, corporis, sensus mentis, & fides cordis intelligitur: quæ si in nobis pura & lucida fuerit, sine dubio omne corpus nostrum illuminat.* Idcirco autem lucerna in comparatione fidei ponitur, quia sicut lucerna incedentium in nocte gressus illuminat, ne autem in foveas, aut in offendicula quæque ambulantes incurrant: ita & in hac seculi nocte splendor fidei omnes vitæ

Ooo

nostræ

Vsus fidei quam nobis esse familiaris debeat, ex Patribus declaratur variis similitudinibus.

1.

Lib. 2. Strö. sect. 4.

2.

Conc. in c. 5. Matthæi, tomo 2. Biblioth. SS. Patrum.

*Fidem non esse lucere ambulanti-
tibus.*